



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Cursus Biennalis Studii Canonici, Sive Succincta Et  
Methodica Sacrorum Canonum Explanatio**

**Engelhard, Johann Martin**

**Moguntiae, 1700**

Titulus XVII. Qui filii sint legitimi.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63255](#)

## TITULUS XVII.


Qui filii sint legitimi.

**Q**UÆRES I. Quotuplices sint liberi? Resp. In duplice eos differentia collocari, vel enim sunt legitimi, vel illegitimi; illegitimi vel sunt naturales tantum, ii nimis qui ex soluto & soluta, inter quos tempore conceptionis, nativitatis, vel etiam tempore intermedio matrimonium consistere potuit, nati sunt, quales propriè sunt qui ex concubina seu uni soli propria generantur, qui enim ex scorto nascuntur, maneres, dicuntur. vel sunt naturalium nomine indigni, quales sunt ii, inter quorum parentes dictis temporibus non poterat subsistere matrimonium, velut spurii sive ex damnato id est adulterino, nefario id est inter as. & descendentes, vel incestuoso coitu inter collaterales & affines procreati, quorum omnium hæc est misera conditio, quod ad SS. Ordines, nec ad dignitates nec ad hæreditates paternas admittantur, hoc unicum à SS. Canonibus solatum consecuti, quod mitigato per Canones legum civilium rigore, nati ex damnato coitu alimenta recipiant, quæ per Novell. 89. Ejusque caput ultimum negabantur.

Legitimi vel nascuntur, vel sunt nascuntur, qui ex matrimonio verè vel putativè justo concipiuntur, matrimonium verè justum dicitur, cui non subest impedimentum dirimens. cap. 9. b.t. præsumptivè vel putativè justum est, cui quidem impedimentum subest, ab ipsis tamen contrahentibus aut saltem ab uno eorum bona fide ignoratum, ex quo suscep-

cepta proles censetur legitima, licet ex post facto  
detrecto errore, matrimonium forsan separetur. e.z.  
8.85. 14. b.t. Fiant legitimi tribus modis. Primo,  
per subsequeens matrimonium inter parentes etiam  
in Articulo mortis contractum cap. 6. b.t. Secundo,  
Per rescriptum Papæ. r. 13. b.t. Tertio, per ingressum  
sum religionis. Olim quidem etiam per oblationem  
Curiæ legitimabantur filii; iste autem legitimandi  
modus hodie exolevit.

QUÆRES 2. Quæ sit differentia inter di-  
ctos legitimandi modos? Respond. Est differentia  
duplex? 1. Quod per matrimonium non legiti-  
mentur nisi naturales tantum, per rescriptum ve-  
rò Papæ & ingressum religionis omnes quocunque  
modo geniti. hinc filius ex adulterio susceptus il-  
legitimus manet, licet ex post facto inter adulterum &  
adulteram matrimonium contrahatur. dict.  
up. 6. 2. Quod legitimati per matrimonium in-  
omnibus æquiparentur legitime natis; qui verò  
duobus postremis modis legitimantur, ad beneficia  
quidem, non tamen ad dignitates admittuntur,  
nisi id specialiter fuerit concessum, cum semper in-  
hæreat saltem adhuc aliqua originis macula, & no-  
ta infamia, quæ dignitatibus obstat. Quemadmo-  
dum autem Papa in ordine ad beneficia & alios ef-  
fectus ecclesiasticos, ita & imperator in ordine ad  
effectus civiles v.gr. successiones legitimat, quorum  
notitiam scire volenti dabit novella 89. per  
totum. Et Novell. 117. cap. 20.



TITU-